

Dic tertium<sup>x</sup> praeceptum.<sup>y</sup>

Memento, vt diem sabbathi sanctifices.<sup>32</sup>

### Quid significat vox sabbathi?

Sabbathum significat Hebraeis quietem, a verbo שבת, quieuit. Et cum eadem dictione congruunt duae priores literae vocis שבע, quae numerum septenarium significat. 5

### Quot sunt species sabbathi, quarum fit mentio in scriptura?

Quinque species sabbathi sunt, de quibus sacrae literae concionantur. Pri- [17:]mum est sabbatum creationis, de quo dicitur Gene. 2: „Sex diebus fecit Deus coelum et terram, et requieuit die septimo“<sup>33</sup> non quod postea desierit Deus adesse suo operi, quo ad sustentationem et conseruationem, sed quia post hominem conditum cessauit Deus 10 alias res condere. Non enim nouos mundos aut nouas elementorum et animantium species creare deinceps voluit, vt ostenderet hominem esse extremum et summum opus, quo delectetur ac in quo velit acquiescere.

Secundum sabbatum est paedagogicum videlicet caeremonia externa ordinata ad diem certum, quo conceditur corporibus quies ab operibus<sup>z</sup> seruil- 15 ibus, sicut dicitur Deuteron. 5: „Non facies in sabbatho quidquam operis tu et filius tuus et filia, seruus et ancilla, bos et asinus et omne iumentum tuum et peregrinus, qui est intra portas tuas, vt requiescat seruus et ancilla tua sicut et tu.“<sup>34</sup>

Tertia species est spirituale sabbatum animae, de quo lex Dei inprimis praecipit, quod est deditum esse studio doctrinae coelestis et quietem agere a 20 peccatis seu malis operibus. [18:] De hoc sabbato commonefactio erat externa quies corporum idque significant leges toties repetitae de sabbato, vt in Exod. cap. 31 dicitur: „Videte, vt Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, vt sciatis, quod ego sum dominus, qui sanctifico vos. Custodite sabbatum. Sanctum est enim uobis et pactum est sempiternum inter me et filios Israel signumque perpetuum.“<sup>35</sup> 25

<sup>x</sup> III.: D, E, F, G.

<sup>y</sup> Holzschnitt: Predigt am Feiertag, im Hintergrund ein Holzsammler (Num 15,32–36): B.

<sup>z</sup> Korrigiert aus „operis“ nach G.

<sup>32</sup> Vgl. Ex 20,8; Dtn 5,12.

<sup>33</sup> Vgl. Gen 2,2.

<sup>34</sup> Dtn 5,14.

<sup>35</sup> Ex 31,13f.17.